

13013.

13013.

1727.31.

3

DISSE^TRAT^O JVRIDICA⁷
DE
CENS^V CONSTITUTIV^C
ET
RESERVATIVO⁴¹
QVAM
CONSENS^V
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
PRAE^SIDE


D. GEORG. ANDR. JOACHIMO

D. XXV. FEBRVAR. A. M DCC XXVII.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

S V B M I T T I T

JOHAN. GOTTL^OB. SCHIRMERVS
PIRN. MISN.

LIPSIAE
TYPIS IMMANVELIS TITIL.



§. I.



Erbum census quod attinet illud
a verbo censere descendere satis
superque notum est, hoc tamen
ipsum variis venit JCtis signifi-
catibus, aut enim significat bono-
rum seu facultatum hominum
seu ipsarum personarum aestima-
tionem juxta quam onera ac tri-
buta imponuntur, quo nomine olim dicebantur Censores.
LIV. decad. 1. Lib. 4. Cenfidores L. 4. §. 1. ff. de censibus &
20. tit. C. d. Cens. & Censit. & in hoc sensu sumta invenitur
dicta vox in L. 21. §. final. ff. d. annuis legat. l. 4. ff. d. cens.
l. 2. C. d. cens. aut usurpatur pro ipso patrimonio & rebus
quas quis in dominio vel possessione agnoscit, & quæ deinde
prædicto modo & fine aestimabantur, quomodo habetur
in l. 16. pr. ff. ad SCt. Trebell. Cum vero & interdum one-
ra vel tributa personis imponebantur, pro illarum etiam
conscriptione & consignatione sumitur, ut videre licet in
l. 3. pr. ff. d. Cens. l. 10. C. de agricol. & Cens. Et hæc di-
versa conscriptio proprio nomine distinguebatur, illa a bo-
nis sive jugeribus jugatio, hæc a capitibus capitatio dice-
atur. l. 9. C. d. agric. & censit. l. 1. C. d. Colon. Thracens. aut
sumitur pro ipso illo, quod imponitur tributo. In qua signi-
ficatione, tributum, publica pensatio, publica functio &
census idem sunt. t. t. C. tit. d. ann. & tributis. Tandem
etiam sumitur pro libris censualibus, quæ alias aestima, Ca-
tastra dicuntur. Sed cum hæc omnes significations non ad
nostram materiam spectent, dum omnes eo redeant, ut pro
fundamento agnoscant jus quoddam publicum personis sal-
tem superioribus Principum competens, remittimus, in
presentiarum enim, ubi tractatio de jure quodam privatis

4 DE CENSV CONSTITVTIVO

competente instituenda erit, non præterundum quoque, quod & hoc loco vel sumatur pro jure pensionem quan-dam certam capiendi aliunde, cum quo respondet reditus, vel exprimatur pro contractu, quo hoc jus alicui consti-tuitur, vel pro ipsa pensione, quæ vi obligationis hujus Con-tractus præstari debet, qua acceptione etiam s'penuero reditus, Canon Pensio dicitur, Zins, Erb-Zins, Gülte, Ren-the. Hinc Censuſ s. reditus redimibilis, Wiederkauffs- Gülte, i. e. Wiederkauffs oder wiederkaufflicher Zins, latio-rem verbi explicationem. vid. in FRANZK. variarum resolut. lib. I. quæſt. I. n. I. usque ad 27. & MARTINI Tract. d. jure Censuum Cap. I.

§. II.

Neminem ergo lateat nos hoc loco sumere Censum pro facultate privata capiendi pensionem s. reditus, non pro ipſis redibus, qui annuatim præstantur, ut itidem loquimur in usufructu, si is alicui constituantur, tunc enim non potest intelligi pro ipſis fructibus, sed pro jure hos fructus perciendi. Ut ergo definiamus Jus privato competens perciendi certas pensiones s. reditus ex re vel persona, pro genere Jus assumimus, quia ut satis clarum est, hæc potes-tas non ad res corporales, sed ad incorporales refertur, & non obstat, quod censuſ iutuitu ipsius præstationis de re & in re corporealieri debeat, aliud enim est, si sumatur forma-liter, aliud si materialiter seu pro ipſa re, quæ ad Jus hoc constitutum demum sequitur, additur *privato competens*, ad majorem distinctionem illius juris, quod personis publi-cis intellige principibus & magistratibus competit ad æsti-manda subditorum & civium bona ut eo aquiori modo tri-buta imponi queant, licet enim & personis publicis ante-hac nominatis hoc jus quoque competere posse non denegemus, attamen illæ ipſæ tunc considerandæ sunt, ut priva-ti,

ti, ut cum iis paribus juribus utantur. Pergimus in definitione. *Percipiendi pensiones s. redditus*, his verbis indigitatur, in quonam hoc jus confusat, nimirum in acquisitione s. perceptione pensionum s. reddituum, ita, ut nihil ad rem faciat quoquo tempore percipientur, ut ideo sint five annui five menstrui.

§. III.

Dividitur principaliter & ratione modi constituendi in Censum Constitutivum & Reservativum, ille dicitur quando aliquis, qui Dominus rei alicujus non est, a rei domino aut cui alias jure haec potestas competit, de quo in sequentibus: jus tale constitutum sibi accipit, nominatur alias etiam imposititus vel consignatus. Reservativus vero est, quando aliquis pleno jure transferendo rei sua dominium in alium sibi jus census reservat. FRIDERIC. MARTINI *de Jure Cens. Cap. 2. n. 19.* Pleno jure, i. e. quoad directum & utile dominium, aut etiam quoad utile tantum rem transferat, sibique certum censem annum annuatim vel alio temporis spatio ab accipiente præstandum reservet, qui ab aliis etiam Fundiarius dicitur

§. IV.

Vterius Census dividitur in Realem & Personalem, quæ tamen distinctio ad Censum Constitutivum tantum pertinet, sunt quidem qui dicunt, & censem reservari posse in persona ita, ut si res alteri vendatur pro hoc vel illo pretio hac conditione, ut persona emens obligata sit quotannis certam pensionem dare, tunc quasi in Venditione hujus rei reservatus diceretur census, attamen re accuratius pensata, liquet, hoc loco abusive tantum dici Reservativum, nam reservativus semper respicit rem alteri traditam, ita ut ex ea tamen aliquid præstandum reservetur, habetque se ideo instar oneris realis, rei perpetuo inhærentis MAEV. part. 4.

6 DE CENSU CONSTITUTIVO

decis. 403. & sic differt a Censu Constitutivo, qui non semper rebus, sed quandoque etiam personis imponitur. MART. *d. jur. Cens. cap. 2. n. 16.* Realis ergo dicitur, qui in rebus ut fundis, prædiis, domibus constituitur iisque imponitur, ut res ipsa principaliter obligata sit, cohæret enim rebus, ab iis sejungi nequit, sed cum read omniem possessorem transit, persona vero secundario, quatenus possidet, obligatur. Personalis est, qui personis imponitur, ut ea tantum sint obligatae. v.g. Do Cajo 100. florenos, ut quotannis mihi det quinque ad dies vita mea. Interdum tamen res, personæ majoris securitatis ergo adjunguntur. Nam non raro contingit, ut res aliqua denominetur non tanquam materia, in qua constituantur reditus, sed tantum ut eo magis Creditor, cui Census solvendus est, securus reddatur & sciat, unde, si fortassis persona obligata negligens in solutione sit, satis fieri possit, quod sit ubi hypotheca intuitu census in certa re constituitur. De hoc Censu JCti inter se maxime contendunt, annon usurarius sit, quod defendere intendit MART. NAVARRVS *Tract. de Usur. n. 87,* ubi plures in hoc consentientes allegat, quorum tamen argumenta refutando demonstrat HEINRICH ZAESIVS *ad Tit. d. usur. n. 22. usque 26.* omnino esse licitum. Non tamen confundendi sunt hoc loco illi census, ubi res adjiciuntur non securitatis sed demonstratio-
nis gratia, ut ex iis pensio constituta solvatur, ubi solum manet obligatio personalis, & fundum nullo modo afficit. Quale Exemplum est. *l. 81. ff. de Contrah. Emt. vid. GEORG. FRANZK. lib. 1. variarum resolution. 1. num. 133.* Et BARTOLVM *in l. Codicillis 91. §. instituto num. 4. d. Legat. 2.* qui inter constitutionem juris in re & inter obligationem de dando fructus ex re demonstrative adjecta distinguit, & l. allegat. de hoc posteriori accipit, quod confir-

ET RESERVATIVO.

7

firmat BALDV ALBERIC. nec non Salicet. in l. 2. C. de
revocand. iis, que in fraud. Creditor. In reliquis divisi-
onibus Constitutivus Census coincidit cum Reservativo, ubi
dividitur in pecuniarium & fructuarium & quisquis facile
judicat, illum dici si Census in pecunia numerata, hunc,
cum in fructibus, frumento, oleo & vino & id genus
aliis solvendus est. Tandem etiam a forma contrahendi
& constituendi an nimirum certis adjectis pactis, an fi-
ne illis pure sc. constitutus fuerit, dici solet vel purus s.
simpliciter & non simpliciter constitutus, sed haec divisio
omnibus contractibus communis est, ergo non est, quod
de ea aliquid addamus.

§. V.

Porroratione temporis uterque Census dividitur in
perpetuum & temporalem, si aut nullum tempus, aut ali-
quod praescriptum sit, cuius lapsu extinguitur, licet quidem
regulariter Census constituatur in perpetuum, attamen
contra ejus naturam per pacta privatorum aliud induci po-
test, siquidem in arbitrio contrahentium est, quomodo con-
trahere velint, & quemadmodum alicui liberum est rem
suam tradere vel plane non tradere, multo magis liberum
erit, rem meam sub lege pensionis perpetua vel tempora-
lis transferre. Utterius dividitur a plerisque Census Con-
stitutivus in Redimibilem & Irredimibilem, quamvis non
negem, mihi cum aliis rectius videri hanc divisionem minus
recte huic soli sed portius utrisque Constitutivis & Reserva-
tivis applicari posse. Redimibilis enim, dicunt, est, qui relui
potest, ita ut ille, qui sortem accepit illam restituere, sic
que se a censu quotanni praestando liberare queat, quod
bene congruum erit censui constitutivo. In censu Reser-
vativo vero, ubi rei meae omne dominium in aliud trans-
fero, censu mihi reservato, quomodo tunc possem me li-
berare

8 DE CENSV CONSTITVTIVO

berare a censu, nisi rem etiam recuperem, quod non nisi
mediante adjecto pacto retrovenditionis fieri potest, sed
respondeo, quoad Censum Reservativum falsum suppon-
nunt casum, cum ita formari debeat: Ego cedo Cajo fun-
dum meum, reservato mihi certo censu, (ut tantum,
quantum quotannis census summa erit, juxta proporcio-
nen usurarum in sorte s. pretio Emtionis remittatur). Po-
stea Emtor hujus rei velle se liberare ab hac præstatione,
quod facilime fieri poterit, si tantum, quantum intuitu
quotannis præstationis in sorte remissum fuit mihi adhuc
exsolvit, Ergo videre licet hanc divisionem tam ad Constitu-
tivum quam Reservativum bene applicari posse, aliud ta-
men essets per pacta privatorum hæc facultas alicui adem-
ta vel diminuta esset.

§. VI.

Cum vero omnis Constitutio Census dependeat a vo-
luntate ac consensu partium Contrahentium, necesse erit,
ut de iis, quid observandum sit, accuratius inspiciamus,
de illis Regula hæc sequens pro fundamentali posita sit, quod
omnis, qui sui juris est, plenum habet dominium & ita po-
testatem se aut sua bona aliis obligandi, possit ejusmodi
Censum constituere, & in hoc jam convenientiunt Census
Constitutivus & Reservativus. Qui enim aliena potestati
adhuc subjectus est, aut sufficienti judicio, quid sibi con-
ducat aut non, non instructus est, illi nullo modo potestas
de rebus suis disponendi conceditur, sed ejusmodi Contra-
etus aut plane nulli sunt, aut ad minimum claudicare di-
cuntur, ita ut quoad passum, quo ejusmodi persona se obli-
gavit, ipso jure sint nulli, quod ad illud, in quo alterum sibi
obligavit validi declarentur; hinc liquet hoc loco excludi
1) furiosum §. 8. Inst. d. inutil. stipulat. l. 1. §. 12. ff. d. O.
§ A. Et l. 40. ff. d. R. V. Secus tamen esset si tempore
inter-

intervalli hoc negotium per actum fuisset, tunc enim quia ut alii pleno iudicio instructus est, pari etiam cum aliis jure utitur, ita ut ei omnia concedantur, quæ reliquis hominibus sua intelligentibus permittuntur, 2) prodigum, qui quidem homo sui juris respectu deficients relationis dici debet, attamen, quia intuitu administrationis & dispositio-
nis circa bona furioso comparatur, pari quoque cum ei jure uti declaratur, interdictum enim ex hac ratione ei est bonis l. 10. ff. de Curat. furios. l. 6. ff. de V. O. l. 40. ff.
d. R. J. 3) Ebrium, qui ebrietate magna non intelligit quid agat, ut hinc omne negotium, quod in ejusmodi statu ab eo factum est, s. sit inter vivos, s. mortis causa nullum declaretur. 4) Impuberem & minorem absque curatore ejusmodi negotium contrahentem, tandem & 5) filium familias propter præjudicium patris, quod ei ex contractu hujus filii imminere queat, nisi limitare velis, quoad peculia castrensis, quasi castrensis & adventitia extraordinaria. Diximus quoque, quod de Censu contrahens esse debeat dominus rei, ille enim optimus rerum suarum moderator & arbiter in l. 21. C. d. mandato recte nominatur, insuper & hæc ratio addenda erit, quia per Constitutionem Census re-
vera aliquid alienatur & in aliud transfertur, nam in Censu Constitutivo, hoc loco bene argumentari poterit a servitu-
tis impositione, quippe quæque a nemine nisi domino rei pleno imponi & constitui potest, quod ad Censem Reserva-
tivum multo minus alius nisi dominus intervenire poterit,
cum semper conjunctus sit cum translatione rei dominii,
quæ de jure constare non possit, nisi sit dominus, in omnibus enim negotiis quibus rei dominium in aliud transfertur,
requiritur res propria transferentis, i.e. fiat ab ipso reidomino v. MENCK. Theor. & Pr. Tit. d. pacf. Hinc tutores, Cu-
ratores, item administratores rerum universitatis piarum-

B

que

10 DE CENSU CONSTITUTIVO

que causarum ut & procuratores licite & de jure valide non
constituunt, nisi etenim, quatenus vel eis in ipso jure potes-
tas alienandi concessa, ubi tunc omnia illa circa ejusmodi
actum in jure præscripta requisita rite observare debent,
ultimi vero speciali adhuc passum directo mandato instru-
eri sint, nisi velint actum de jure nullum declarari FELI-
CIAN. *de solis in Commentar. d. Cens. lib. 2. cap. 2. tot. ubi*
n. 23. de muliere conjugata tradit, non posse se obligare ad
reditum sine licentia mariti variisque ulterioribus demon-
strationibus deducit. Huc pertinet quoque maritus, qui in
rebus dotalibus immobilibus non poterit ejusmodi. Cen-
sus constituere, nisi illa ipsa res estimato illi datae fuerint,
hæc enim periculum transfert, & quasi emtionem facit. *I. 10.*
d. C. jur. dot. ita ut tunc haec res pleno jure spectent ad mari-
tum, illasque distrahere & libere alienare possit. *I. 5. C. d. 1. I. 5.*
ff. d. solut. matrim. Hinc & servitatem in his rebus consti-
tuere. CAEPOLLA *d. Servit. Urban. præd. C. 14. n. 10.* er-
go & censum imponere potest.

§. VII.

Dictum vero supra constituentem esse debere plenum
dominum, hinc concludi posse videtur, hoc non licere do-
mino minus pleno, Vasallo, domino directo, Emphytevtæ,
& in specie sic dicto Domino revocabili. Et affirmamus,
ita scilicet ut cum effectu in perpetuum juxta ordinariam
Census naturam durare nequeat, nisi alter dominus, penes
quem reliqua proprietatis particula est, simul consentiat,
tunc enim quasi hi duo domini pro una persona constituen-
te agnoscantur. Interim non negari potest, per Exceptio-
nem a Regula itidem & a dominis minus plenis constitui
posse censum eodem, uti servitutes, modo, sc. ut tamdiu du-
ret, quamdiu constituentis jus, resoluto vero hoc, resolva-
tur etiam ab eo constitutum negotium, quippe quod ple-
nius

ET RESERVATIVO.

ii

nus jus in alium transferre non possit, quam ipse habuit, & in præjudicium illius, ad quem resoluto utilis & revocabilis domini jure res revertitur nil propria autoritate conficeret queat. Exinde facillime quoque quid de socio rei communis in ea censum constituentis sentendum sit apparent, qui, quoad suam quidem partem, non vero ultra & in præjudicium reliquorum sociorum, omnino ejusmodi onus rei sua imponere poterit.

§. VIII.

His remissis videamus nunc objectum in quibus rebus Census constitui vel reservari queat, quod primum attinet duplex considerandum erit objectum, vel persona vel res, quod ergo in persona constitui possit census ita, ut hæc persona se ad certainam annuam pensionem obligare queat, nullum plane erit dubium. Veluti si quis indefinitè constitutus reditus nec exprimat in specie subjectum ullum cui inhærebeat, hoc enim ita interpretandum, quasi persona tacite censeatur onerata. Nullo enim iure prohibita sunt obligationes personales potius ubique frequentantur, omnique jure confirmantur, ut quis vel ad faciendum vel ad dandum aliquid se firmiter obligare queat, alteri etiam ex hac obligatione actio concedatur, & hoc ex omnium Contractuum fine & effectu satis superque probari potest, potest enim quis se obligare ad certas operas quotannis præstandas, ut ex iis alter commodum sentiat, non minus & ita se obligare permittitur, ut quotannis certam pensionem in pecunia vel aliis rebus, ut fructus, solvat, exempli loco potest adduci, quod omnibus notum erit, ubi homines alteri operas quotannes, Frohnen, tanquam censum promittunt, & quis ejusmodi Contractum nullum dicere vellet. Ex his etiam fluit illa jam supra adducta divisio Census realis & personalis, qui posterior in persona solius Censuarii, debitoris

B 2

toris

12 DE CENS V CONSTITUTIVO

toris obligantis se ad certam pensionem, sine ordine ad aliquam rem, unde solutio facienda, absque vel ulla, vel cum rerum aut bonorum assignatione hypothecaria, confisit & solum obligationem & actionem personalem producit ut in ceteris Contractibus. MARTIN. d. jur Cens. cap. 4. n. 34. seqq. & ut uno verbo dicam, si conceditur, quod homines suas operas locare queant, quod tamen aperti juris est. l. 26. ff. d. locat. l. 3. ff. de usu & fructu legato sequitur, quod etiam operas sub specie annuarium pensionum promittere & jus illas exigendi concedere queant. Parimodo se habet in obligatione personæ ad certum aliquid dandum tanquam annuam pensionem ejus probatio defumi poterit ex Emphyteusi, ubi Emphyteuta se obligat ad aliquid ejusmodi singulis annis vel aliis temporibus dandum, a quo probato bene applicative argumentari poterit ad nostrum Contractum. Sed hoc solummodo in Censu Constitutivo applicari poterit, alii quidem objiciunt, hoc ad reservativum extendentes, quodlibet res in aliquem transferatur hac conditione, ut persona accipiens maneat obligata ad certas pensiones tunc & Reservativum Personalem dici posse, ast re accuratius penitus, dicamus hoc esse constitutivum, siquidem nihil adest quod antea meum fuit, & quod nunc reservato in eo aliquo jure in alium transfero, sed totam rem sine aliquo in eo reservato transfero, & de novo mihi in persona, quæ antea mihi nondevincta erat, aliquid exigendum constituo.

§. IX.

Objectum reale vero ad utrumque tam constitutivum quam reservativum censum pertinet, ideo eadem juris applicatio erit. VALASC. d. quest. 32. n. 8. siquidem quoad hunc passum eadem ratio est. Res vero quæcunque idoneæ sunt, si modo ex iis percipi possit utilitas, præcipue tamen res

res immobiles huc spectant. *arg. c.1. § 2. d. Emr. vend. Extrav. Commun.* ita tamen ut non penitus excludantur mobiles ex quibus percipi possit utilitas, ut navis. Nam rebus quæ usū consumuntur aut steriles existunt Jus imponi nequit. Si enim pensio de aliqua re præstari debet, requiritur, ut etiam idonea & apta sit; ubi enim nullum ex re concepi potest commodum, ibique quoque nullum Jus constitueri concipi poterit, hinc quoque *alleg. Text. in Extrav. Commun.* solum loquuntur de rebus frugiferis. Non tamen requiritur, ut præcise res ista, quæ loco Census dari debet proferatur ab ipsa re, cui impositus est Census, sufficit enim, quod ex fructibus mediante venditione alioque quovis modo, qui obligato ad censem solvendum relinquitur comparari possit. *Cenc. qu. 35. seqq.* Excluduntur itaque illæ res quæ ad fructus proferendos plane inhabiles sunt, siquidem ex his pensionem percipere vanum esset ac inane. **CONRAD.** *de Contract. tract. 4. quest. 72. concl. 2.* Contradiccio enim ineft, si diceremus, redditum præstare exinde ubi non est redditus *Cap. 1. § 2. d. Emr. Vend. in Extrav. Comm.* Sed an etiam illæ res, quæ usū consumuntur, ut pecunia, frumentum, vinum, huc referri poterint? regulariter minime, præsertim si species Censem reservativum, quia in his jus quoddam utile extra earum interitum & consummationem non datur. Limitandum tamen est, si sint, (ut dicitur) in statu fructificandi constituta, ut pote negotiationi expositæ, tunc & in iis Censem constitui & reservari posse statuit. **FRIDER. MART.** *de jure Cens. c. 4. n. 5.* ubi tamen bene attendendum ad justum pretium, intellige, ne plus constituantur, quam forte ex ipsa re deductis impensis percipi possit. Sic enim translaret in Contractum usurarium, qui penitus reprobatur. Et idem hoc de animalibus fructiferis asserti poterit, si modo sensus sit de Censi temporali. Per-

14 DE CENS V CONSTITVTIVO

petuus enim in rebus moventibus neque constitui neque reservari poterit; ideo quia tales res intereunt, ac corrum-puntur atque ergo tunc cessante causa, cessare quoque debet effectus. Quod tamen ipsum, si ad gregem & armen-ta ex præmissis concludere velis omnino limitandum erit, siquidem in his qualitas prædictæ quod pereat, non inven-nitur, licet enim animalia individua intereant, gress tamen nunquam perit. arg. I. proponebatur ff. d. judic. Ut ve-ro res valide illi cui Census constituitur, sit devincta & obli-gata requiritur omnino, ut sit in constituentis dominio, hinc liquet iterum excludi tam res communes, publicas, quippe quæ plane non in commercio privatorum existunt, ut ideo in his nulla constituantur obligatio hinc & nullo modo censu aliquo onerari possint, quam in privatorum patri-monio non vero in specie constituentis existentes, nam uti supra jam deductum, in præjudicium domini ab alio non posse imponi onus rei alterius.

§. X.

Modum constituendi censum quod attinet, genera-liter consideratus est duplex, aut enim rei alterius de novo imponitur aut nostra re in alterum translata reservatur & licet quidem rei constitutio & acquisitio in se ipsis confide-ratæ differant, attamen cum tanquam correlata se habeant, ut nulla constitutio sine acquirente, nulla vero acquisitio si-ne constitutive concipi cum effectu queat, bene conjungi poterunt, cum iisdem modis ac titulis Census constituantur atque acquiratur. Sed ut rem penitus inquiramus, apud omnes jam in confessio est, duos esse modos ad quos singulæ actiones hominum s. negotia collineant, scilicet actus in-ter vivos & mortis causa, ex utrisque quinam hic possint ap-PLICARI videamus, facto ergo hominis Census constituitur, quod vel est domini vel judicis, hujus factio per sententiam in

in judicio divisorio ut puta familiæ erciseundæ, ubi uni co-hæredum certam annuam pensionem adjudicat. *arg. §. fin.*
Inst. d. off. Jud. constitui posse nemo inficias ibit, siquidem hæc sententia justus reputatur titulus ad transferendum dominium *l. 3. in fin. ff. d. publ. in rem act.* Et non solum si specialiter de reditu ejusmodi in judicio contenditur an alteri competit, an non locum habet, sed & si alio modo de dividenda re agatur. Domini factum spectatur vel in actibus inter vivos ut donatione, venditione transactione quibus omnibus census bene constituitur, nam quod donationem attinet, unicuique res suas donare liberum est, si modo, ut superioribus sphis deductum propter aliam specialem rationem hæc facultas in jure non restricta sit. Et non modo procedit, ut possim rem meam alteri donare, ira, ut mihi certum aliquid ex ea præstandum reservem *l. ult. C. d. rer. permul.* sed etiam alteri jus redituum titulo donativo in re mea constituam, quod probatur ex usufructu, qui itidem reservatione in re nostra ad alium translata, vel re mea apud me manente alteri constitui potest. Imo ne taceam ejusmodi censum per modum feudi transmitti posse, quales census videntur esse Feudum de Camera & cavena FRID. MART. *c. 3. n. 5.* Per dotem etiam census introducitur, si videlicet pater filiam elocans loco dotis annuam pensionem det, CO-VARRVV. *lib. 3. var. resolut. c. 1. n. 3. resolv. 8.* Item per transactionem si partes de re aliqua in judicio contenden tes ita inter se conveniant, ut alteri relinquatur res, hoc modo adjecto, ut alteri annuatim certos reditus præstet, item permutatione, ut si rem aliquam ita transfero, ut pro ea re mihi quotannis certum aliquid ex re vel persona præstetur vel ita ut in translata re mihi aliquid reservem. Non minus & per dationem in solutum, si id quod alicui debetur

16 DE CENS V CONSTITVTIVO

batur pro sorte s. capitali assumatur & ex eodem annua aliqua pensio solvatur ad modum emtionis venditionis, cui hæc datio in solutum similis dicitur *l. 24. in princ. ff. d. pig. act. l. ult. ff. quibus ex causis in poss. eat. l. apud Cels. §. 4.* auctoris autem *31 ff. d. dol. mal. & met. except. l. si prædium 4. C. de evit. CRAVETT. d. cens. 217. n. 4.* BERTRAN. *conf. gr. n. 7. l. 3.* PAVL. PARIS. *conf. 75. n. 33. & seqq. vol. 4.* REDOAN. *de rebus eccl. alien. RVBR. d. Conf. ann. cens. n. 61.* BVS. *d. loc. n. 7.* ubi & addit; hanc causam redditum constitueretur hoc tempore frequentissimam esse. *Diff. FEL. de SOL. d. c. 5. n. 17.* per stipulationem etiam; cum omnis res, quæ domino nostro subjacet, in stipulatum deduci possit. *pr. i. de inut. stipulat.* vid. BVS. *d. c. 12. num. 1. & seqq.* Et per omnes illas causas census constitui, & alteri acquiri potest, quibus rei traditione vel quasi interveniente alias dominium acquiritur.

§. XI.

Vstatissimus quoque titulus est Census Emtio Venditio, licet enim a plurimis pro illicito & usurario reputetur, bene tamen si modo justum observetur pretium, quod in Recess. Imp. d. an. 1654. ad usurarum quantitatem 5 pro 100 determinatum tolerari potest. De quo tamen dissentit COVARRVV. ita ut dubitet, an ejusmodi redditus recte possint dici census, quem tamen latissime refutat FRID. MAR T. in *Traff. de jure Cens. C. i. n. 18.* alii objiciunt nullum posse dici hujus rei emtionem venditionem, quod fine re constare non possit Emtio Venditio *l. g. ff. d. contrad. Emt.* hic loci autem in hoc Contractu emeretur Census ante constitutionem, quod tamen non possit de sua natura constare, sed Resp. i) non solum res corporales, sed & incorporales quocunque *hoc* titulo ut Emitione, donatione

tione comparantur, quod liquet ex natura servitutum, quæ & que per Emtionem constituuntur *l. 8. §. fin. ff. de pericul. &c. commod. rei vendit. & §. 4. si quis velit. Inst. d. serv.* 2) resp. non solum res in præsenti jam extantes sed & futuras Emtionem & Vensionem admittere *l. 8. ff. d. Contrah. Emt. & l. 13. ff. d. ad. Emt. Vend.* ex quibus patet, quod & jaetus piscium captatio avium aliaque tempore Contractus incertæ res ad hunc Contractum bene pertineant. Si ergo hoc applicari potest ad fructus, quidni etiam ad pensionem in pecunia consistentem. Ulterius objiciunt, hunc contractum majorem Connexionem habere cum Mutuo quam cum Emtione, & ideo magis ad illud referendum esse, vid. CAVARRVV. 3. variar. resolut. 7. n. 3. Sed adhoc resp. maxima est differentia inter mutuum & nostrum contractum. Mutui enim natura in eo consistit, ut sors repetatur *l. 2. ff. d. reb. Cred.* & Creditori quidem repetitio & condicatio sortis suæ competat, hoc loco vero Census hujus five redditus natura sit, ut creditori ad sortem a se numeratam condicendam nulla competit actio, & sic accedit ad naturam Emtonis: alii dissentientium opinionem ita confirmare audent, quod Emto fit Contractus Consensualis, hunc nostrum Contractum talem vero dici non posse, quia non solo consensu constet, sed ad sui perfectionem rei traditionem pecunia sc. solutionem requirat, atque ita ut antequam numerata sit pecunia nulla obligatio inducatur. Et hoc statuit HOTTTOMAN. lib. 3. obs. c. 15. *¶* hoc negatur. Nullo enim jure cautum exhiberi potest, numerationem pecunia hoc loco requiri ad inducendam obligationem, licet enim pro se urgeant Extravag. MARTIN. V. & CALAXTI III. d. Emt. & vendit. attamen sciendum est, illos tantum occasione facti proposuisse, pecuniam numeratam esse, quod ideo non statim ad Jus necessarium trahendum est. Hoc quidem ut in Emtione ita & hoc loco verum est, quod ante cum effectu non possit agi, propter obstantem exceptionem nondum adimpleti Contractus *l. 13. §. offerri. ff. d. ad. Emt. Vend.* Ulterius quidem urget HOTTTOMANNVS emtionem esse

18 DE CENS V CONSTITUTIVO

contractum bilaterale, ut inde ultro citroque obligatio statim nascatur, ut statim agi possit ad rem tradendam & pretium solvendum respond. limito, nisi res vendita ex sua natura assumat spatium aliquod temporis, ut fructus futuri venditi, hoc præsupposito, bene & ad nostrum Contractum applicari poterit.

§. XII.

Quod enim fructus tam præsentes quam & futuri emi & vendi queant, probatur tam jure Imper. Reform. Euter Policiey-Ordnung Augusti d. anno 1530 & 1548. Policiey-Ordnung Francof. de an. 1576. tit. von wucherl. Contractibus §. und nachdem die Wiederkauffs-Gülten quam Jure Canon. per express. tit. de Emt. Vendit. in Extrav. Commun. & Jure Saxon. Constit. Elect. 24. Part. 3. Et probatur quoque ex ipsius rei natura, ad sunt enim omnia ad Emtionem essentialia requisita, merx & pretium, prius consistit in jure percipiendi annuos reditus, alterum in pecunia, cui accedit consensus utriusque partis contractantis. Pretium illud in legibus Imperii allegatis locis ut & Constitut. Maximil. I. Wormat. an 1495. von gemeinen Pfennig tit. wie fünf und zwanzig r. r. definitum, observari debet in annuis reditibus non solum pecunia consistentibus sed & in fructuariis, ita ut non plus in frumento accipiatur quam quod permisum est. Policiey-Ordn. 1577. tit. 10. von Verkäuffern §. Hierauf sezen r. r. Et quidem cum proventus fructuum detimento & additamento sint obnoxii, semper in determinazione iusti pretii attentendum pretium mediocre, quanti communiter res veneat, non ergo pretium fumnum tempore caro, neque minimum tempore fertili considerandum erit; sed cum per speciales provinciales constitutiones, leges imperiales possint restringi vel extendi, liberum quoque erit ab hac determinatione recedere uti BVS. Cap. 9. n. 43. afferit in aliquibus locis Germaniae 6 pro 100 approbari, sed hæc mutatio consuetudine introducta, facti est, itaque ab allegante probanda erit.

§. XIII.

Quidni ergo si hæc determinatio non observata fuerit totus con-

contractus vitiatur? non, sed tantummodo excessus removetur,
 & ad legitimū pretium reducitur. vid. alleg. *Conſt. an. 1530.* §
1548. § *1578. ibid.* Und was darüber genommen oder gehan-
 delt, wollen wir dasselbe hiermit vor wucherlich und un-
 kräftig geachtet z. videtur tamen objici posse, quod ejusmodi
 contractus pro ipso jure nullo in totum declaretur, ubi alleg.
Conſt. utitur verbis castantibus, quando dicit unkräftig, krafft-
 loß: sed respond. Contractus contra legem initus omnino qui-
 dem censetur nullus, niſi leges ipsæ reſtringant ac limitent, quod
 fit, si respicimus verba antecedentia, was darüber genommen,
 ut ita non fundata & genuina explicatio videatur illorum, quod
 sensus sit Und so was darüber genommen wird, soll der Contract
 ungültig feyn.

§. XIV.

Nunc ad modos ubi per ultimam voluntatem census con-
 ſtituitur, & potest fieri titulo institutionis, legati, fidei commiſſi,
 donationis mortis cauſa, uſitatiſſimus inter hos prædicatur mo-
 dus legati, quod enim heredes tertio quotannis ad ſolvendam
 pensionem certam ex fundo ſ. prædio onerari queant, diluci-
 de apparet ex tit. ff. de ann. legat. Nihilque intereft, an testa-
 tor pure & ſimpliciter alicui cenuſum legaverit, potest enim is
 ipſe heredem gravare ut aliquid faciat, det, ſolvat, hinc ad cen-
 ſum facillime poterit concludi! Tandem & præſcriptione juſ
 percipiendi annum reditum acquiritur, ſi nimirum per legi-
 tum temporis ſpatium aliud ex fundo ſuo mihi cenuſum ſol-
 verit, hujus enim facto tale juſ mihi acquiritur, ut ſolvens ad
 hoc in posterum quoque obſtringatur tam firmiter, ut me in-
 vito propter juſ ſemel quæſitum recedere nequeat MART.
Cap. 3. n. 132. & 133. Sed quæritur quodnam temporis ſpatium
 ſufficiat ad juſ hoc inducendum? Alii quidem ſimpliciter
 tempus immemoriale requirunt; alii longiſſimam; alii lou-
 gam præſcriptionem, ſed nos cum aliis meliorem eligimus
 viam, diſtinguendo pro ratione objecti ex quo cenuſus ſolvi de-
 bet, an ſit res principis, Publica, Ecclesiæ, an privati, in quibus

20 DE CENSV CONSTITVTIVO

ultimis suffiere potest in Saxonia præscriptio 31 annorum sex septim. & 3. dierum, cum hoc sit Jus, quod juxta naturam immobilium, quibus hoc paſtu annumeratur, eodem modo cum immobilebus præscriptione acquiri potest. Ratione reliquorum valebit consequentia, quo temporis ſpatio totares præſcribitur eodem quoque tempore jus aliquid ex ea re percipiendi, acquiritur.

§. XV.

Ad Effectus ex his Censibus fluentes nos convertimus, qui bene dici poſſunt primi & ſecundi, ſeu, qui ex primis iterum dependent. Venit enim ex his obligatio quædam, cuius verbum tamen hic aliquanto latius accipimus, ita ut non ſolum subintelligamus vinculum juris personam ad aliquid folvendum obſtrigens, ſed & omne illud debitum, ex quo actio nobis naſcitur, uti in definitione actionis, verba *quod ſibi debetur* generaliter interpretanda ſunt, ita ut poſſit applicari tam Juri in Re quam ad Rem, & quidem, ſi respicimus Cenſum in re constitutum, a parte acquirentis eſt jus annuos reditus ſ. Cenſum percipiendi, quod conſtituitur facta traditione, qua confiſtit in patientia utendi iſto jure. Cum enim ſimplici & nuda illa conventione regulariter nondum jus reale conſtituatur, ſed in ſuper traditio requiratur; Res incorporeles vero proprie tradi dicinon poſſint, leges ſupplent & patientiam utendi jure aliquo, loco traditionis ſubſtituunt. Qui uſus in eo conſiftit, ſi obligatus penſiones ſolvat easve acquirentem percipere patiatur, eo enim ipſo alterum in poſſeffione juris ſui conſtituit id que ipſi quaſi tradit. A parte vero promittentis eſt obligatio quædam, qua accipienti tenetur ad rem promiſſam, ſ. pecunia ſ. frumentum ſit, præſtandam, & quidem ita ut hoc loco præcife ad rem dandam teneatur, neque ſe præſtando intereffe liberare queat, aliud tamen eſt, ſi conſensu alterius aliud pro alio in ſolutum detur, ubi tamen queritur, annon ſic Jus præcife rem promiſſam dandi penitus expiret, & quidem non negandum erit, ſi hoc non contradicente altera parte, ſed patiente ea, per tem-

tempus ad præscriptionem quod requiritur, ita datum fuerit. Ita quoque est in Censu Reservativo, ubi novus rei possessor, intellige, in quem res reservato Censu translata est, reservanti ad illum solvendum præcise quoque adstringitur. Et quidem nisi tempus specialius a partibus Contrahentibus determinatum fuerit, statim in principio anni, omne enim quod annuatim vel menstruatim debetur, sub initio debetur, uti est in annua præstatione ex ultima voluntate debita, quæ in principio anni solvenda *I. i. C. Quando dies legatorum &c. l. in singulas.* Et si per aliquod temporis spatum censem non solverit, pro non soluto interesse & usuras præstare tenetur, siquidem redditus annuos cum usuris nequaquam confundere licet, cum sint instar sortis, quam quis titulo sibi acquisivit *GAIL. lib. 2. obs. 1. n. 8. Conf. tamen Ord. Proc. Saxon. Renov. ubi ad Tit. 42. §. 8. fin.* quoad Saxoniam aliud constituitur. Igitur si contingat hos redditus justo tempore ac termino præfixo non præstitos esse, tum debitor horum nomine haud liberandus erit a solutione ejus, quod interest alterius, moram non contractam fuisse.

§. XVI.

Nunc ad Actiones ex obligatione fluentes pedem promovemus, & quidem ordine ut procedamus, sciendum est, quod ex illa Conventione de Censu Constituendo detur illi, cui promissio facta actio personalis & quidem specialiori determinatione desumpta ab illa conventione cuius titulo hoc jus acquiritur, utputa si donatione Condictio ex *I. 35. C. d. donat.* Emtione, actio emti instituenda, quæ tamen intelligenda sunt, si huc usque nulla pensio præstata adeoque Jus Census realiter non acquisitum fuerit, ubi nulla realis actio adhuc competere potest. Quemadmodum enim servitute aliqua promissa, sed nondum tradita, tantum actio personalis adversus promittentem ad servitutem tradendam instituitur, ita quoque a paritate rationis hoc loco argumentandum erit: Si vero Jus reale per quasi traditionem acquisitum est, datur actio Realis, & quidem vel petitoria vel possessoria. Aut enim in majorem securitatem

hypotheca constituta est, tunc competit vel interdictum Salvianum utile, quo quis consequitur rei hujus intuitu oppignorata possessionem, quam tamdiu, donec ei satisfactum erit, retinere potest. Non minus & actionem Hypothecariam & quidem adversus ipsum debitorem ad Censum vel solvendum, vel rem pignoris loco obligatam extradendam instituere quis potest. Item si aliquis in possessione s. perceptione Census turbetur, utitur remedio uti possidetis, id quod sit, si alteri jus percipiendi denegatur. Petitoria actio dicitur confessoria, licet enim haec regulariter & directe de servitutibus concedatur, interim tamen & utiliter ad reliquas omnes res incorporales, jura, ut Patronatus, decimarum, servitiorum. GAIL. 2. obs. 66. MENCK. Theor. & Prax. tit. si servit. vindicetur. ut & ad nostrum Jus Censuum applicari poterit, ita, ut contra venditorem annuam præstationem recusantem, aut quovis alio modo turbantem, declaretur actori Jus percipiendi redditus, & institui potest haec actio non tantum contra ipsum promittentem, quo cunque titulo factum fuerit, & ejus heredes sed & quia rem afficit, contra quemcunque illius rei possessorem etiam extraneum ita ut tertius hujus prædii possessor, nulla etiam constituentis, aut ejus heredum excusione facta, ad pensionem solvendam actione non hypothecaria sed confessoria conveniri possit ac debeat, Census enim non inharet instar hypothecæ quæ obligationem aliquam principalem presupponit, sed principaliter instar alicujus servitutis, & ideo, sicut prædio, in quo est servitus, in trium transeunte, certum est, quod actio ob servitutem nulla adversus primum concedentem, heredesque ejus competit, sed saltim possessori prædii, ita quoque res se habet in Censu. Et haec locum habent quoad Censum realem, si veropersonalis est, statuunt quidem, CARPZOV. & alii eandem actionem Confessoriæ applicari posse, adducunt rationem, quia scilicet constituto & legitime acquisito jure redditus, personam debitoris afficeret, ut præter personalem obligationem, quasi jus quoddam reale competeteret vi cuius conveniri possit actio-

actionibus realibus peritoris & possessorii, etiam si vel res nulla supposita & denominata sit. Cum vero omnis actio realis præsupponat rem nobis obligatam, qua tamén hoc loco deest, non viderur de jure hoc asseri posse, sed potius dicendum, dari tantummodo actionem personalem, non obstantibus rationibus adductis a CARPZ. Lib. 5. tit. 9. Respons. Electoral. 98. ALVAR. VALASC. de jure Emphyteut. quæst. 32. n. 14. & seqq.

§. XVII.

Tandem & inquirendum quomodo hi Census iterum extinguantur, primus modus erit, interitus rei exqua redditus debetur. Nam cum pensio hæc Jus sit in re, ea sublata & ipsum tollin esse est. Cessante enim causa, cessant effectus, qui exinde fluer possunt. Censitor igitur non nisi ratione rei censui subjectæ aduersus censuarium agere potest, & consequenter in reliquas res executionem vel immissionem petere nequit, quia Census constitutio ad illam rem, cui adhæret, limitata & restricta est, & ita extra illam Censitor nihil juris habet. Hinc re censuaria pro parte peremta vel infrugifera reddita, etiam Jus Census pro rata perit, quemadmodum in tributis & collectis obtinet, cum quibus tanquam oneribus realibus hic census comparari potest, l. 2. C. d. præd. & oibus reb. Navicul. l. ult. C. d. debitor. Civit. Quod attinet Censum personalem, juris est, ut persona debitoris extincta, onus transeat ad hæredes, aut qui eorum loco sunt, quia nemo centum florenis Censum 5. florenor. ad vitam tantum vendoris & non heredum simul præsumitur emere, si vero Census est personalis mixtus, sc. ut res aliqua securitatis gratia adjecta fuerit, Census ea ex ratione non perit, ut pignore peremto, obligatio principalis personalis tamen salva manet. l. pignor. C. d. pignor. aet. l. serv. C. d. pignoribus. Item juris, si prædiu demonstrandri tantum causa nominetur, ut intelligatur, ex quo prædio pensio debeat percipi, nam & eo casu prædio peremto aut vendito, manet Censitus ad annuam præstationem obligatus. MOLIN. Disput. 383. claus. 1. Secundus modus est redemptio, quando is, qui hactenus pensiones solvit, ut ab onere


Cen-

1718.

24 DE CENSU CONSTITUTIVO &c.

Censum praestandi se in posterum liberet, pretium quod antea accepit restituit. Si vero Creditor recusat redemtionem, poterit debitor pretium realiter oblatum consignare & deponere ut cursus pensionum sistatur, hypotheca dissolvatur & periculum amissionis pecunia in adversarium transferatur. Sed queritur, quale monetæ genus hoc loco attendi debeat, in redemtione? Resp. distinguendo, aut inter partes jam in casum redemtionis prospectum & de eo conventum est, tunc conventione standum, aut nil Conventum quo casu, in quavis moneta modo usu loci frequentata solutio fieri potest. l. 73. ff. d. Leg. 3. l. 1. §. fin. ff. d. aur. argent. legat. MYSING. Cent. 4. Observ. 14. Etsi valor monetæ de qua conventum erat, interim mutatus sit, ita ut pluris vel minoris valeat, solutionis s. redemtionis tempore, quam Contractus, sufficit eandem monetam solvi, non attenta mutatione estimationis, vel si amplius non extet, & reperiri nequeat, tunc solutio in alia recepta moneta, ad valorem tamen intrinsecum antiquæ monetæ fieri potest, licet enim aliud pro alio invito creditori solvi non possit: l. 2. §. mutui dat. ff. d. reb. cred. limitatur tamen, si species debita amplius non reperiatur, quo casu estimatione solvitur l. non dubium ff. d. Leg. 3. Tertius modus est Lapsus Temporis, si ad tempus certum tantum constitutus est, eo enim elapsi, nulla obligatio, nullum æque Jus a-gendi remanet, cum Consensus partium olim contrahentium longius temporis spatium non respexerit, cui tamen standum est quia hoc loco pacta dant formam rei. Ultimo loco queritur anno etiam præscriptione extingui queat Jus Census? Extra Saxoniam videtur maxime controversa quæstio, interim plura-ma opiniones D. D. in id coincidunt, præstationibus in futu-rum præscribi non posse, sed uniuscujusque anni propriam esse præscriptionem & quot sint anni, tot esse præscriptions. vid. Coll. argendorat. lib. 22. tit. i. Thes. 18. l. 7. §. fin. Co. d. Pre-script. 30. l. 40. annor. In Saxonia vero Electorali 31. annis 6. sept. & 3. diebus, annuis hisce præstationibus præteritis & futuris præscribitur. Conf. El. 2. Part. 2.

...) o (...



Leipzig, Diss., 1727 (41Q)

ULB Halle
005 353 769

3





13013
13073
7

DISSE^TRAT^IO JVRIDICA⁷
DE
CENSV CONSTITVTIVO
ET
RESERVATIVO
QVAM
CONSENSV
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
PRAE^SIDE
D. GEORG. ANDR. JOACHIMO
D. XXV. FEBRVAR. A. M DCC XXVII.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
S V B M I T T I T
JOHAN. GOTTL^OB. SCHIRMERVS
PIRN. MISN.

LIPSIAE
TYPIS IMMANVELIS TITI^L.